

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 6: De gula (19)

Hugo:

Per esum primi parentis culpa sumpsit initium,  
et ideo cavendum est nobis,  
ne sicut ille per escam paradisi meruit egressum,  
ita et nos arceamur ab ingressu.  
Tria sunt igitur in cibo consideranda, id est quid, quando  
et quantum comedamus, scilicet cibi species, hora et mensura,  
ne illicitum aut extra horam aut ultra mensuram aliquid sumamus.  
Illicitum comedit Adam in paradiſo et expellitur,  
extra horam comedit Ionathas et a patre maledicitur,  
populus vero Israel ad sepulcra concupiscentie et occiditur.  
Transgreditur Adam preceptum domini,  
frangit Ionathas quod observabat multitudo populi,  
decipitur Israel in saturitate cibi.  
Sic igitur transgressio meruit expulsionem,  
negligentia voti communis maledictionem, saturitas mortem.  
In fratres cotidie decipimur, dum murmurantes in desertum Israel,  
et Egiptias illas suspirantes escas,  
precepta prelatorum transgredimur,  
et quod communiter tenetur a fratribus, negligenter observamus.

Quoniam per esum primi parentis culpa sumpsit initium,  
ideo cavendum nobis est,  
ne sicut ille per escam paradisi meruit expulsionem,  
ita et nos arceamur ab ingressu.  
Sunt igitur tria in cibo consideranda, id est, quid et quando,  
et quantum comedamus, scilicet cibi species, hora et mensura,  
ne illicitum, aut extra horam, aut ultra mensuram aliquid sumamus.  
Illicitum comedit Adam in paradiſo, et expellitur;  
extra horam Jonathas, et a patre maledicitur;  
populus vero Israel ad sepulcra concupiscentiae ultra mensuram, et occiditur.  
Transgreditur Adam praeceptum Domini;  
frangit Jonathas quod observabat multitudo populi;  
decipitur Israel in saturitate cibi.  
Sic igitur transgressio meruit expulsionem;  
negligentia voti communis maledictionem; saturitas mortem.  
In his, fratres, quotidie decipimur, dum murmurantes in deserto cum Israele,  
ad Aegyptias carnes et ollas suspirantes,  
et praecpta praelatorum transgredimur,  
et quod communiter a fratribus tenetur, negligenter observamus.

Hugo de Folieto, *De clauſtro animae libri quatuor*, 2.6  
(PL 176, col.1054B-D).